An. et vol. CXII 2 Octobris 2020 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

EPISTULA APOSTOLICA

Scripturae Sacrae affectus
XVI saeculis elapsis a obitu Sancti Hieronymi.

Scripturae Sacrae affectus, viva et suavis dilectio Verbi Dei scripti, hereditas est quam sanctus Hieronymus Ecclesiae per suam vitam suaque opera reliquit. Verba sumpta de memoria liturgica Sancti[1] praebent nobis clavem lectionis necessariam ut cognoscantur, xvi saeculis elapsis ab eius obitu, eius eminens figura in Ecclesiae historia eiusque magnus amor in Christum. Hic amor dividitur, veluti flumen in tot rivulos, in operam eius indefessi studiosi viri, traductoris, exegetae, egregii cognitoris et ferventis vulgatoris Sacrae Scripturae; sublimis interpretis textuum biblicorum; ardentis atque aliquando impetuosi defensoris christianae veritatis; ascetici et severi eremitae, aeque ac periti moderatoris spiritus, sua in magnanimitate ac suavitate. Hodie, post mille sescentis annis, eius figura perstat admodum praesens nobis christianis xxi saeculi.

Exordium

Die xxx mensis Septembris anno cdxx Hieronymus explevit Bethlehem, in communitate ab eo instituta iuxta Specum Nativitatis, suam terrenam vicissitudinem. Itaque illi Domino se commisit quem iugiter quaesiverat et cognoverat in Scripturis, eundem quem febricitans iam convenerat uti Iu-

[1] «Deus qui beato Hieronymo presbytero suavem et vivum Scripturae Sacrae affectum tribuisti, da, ut populus tuus verbo tuo uberius alatur et in eo fontem vitae inveniet», collecta Missae Sancti Hieronymi, *Missale Romanum*, editio typica tertia, Civitas Vaticana 2002.

dicem in quadam visione, forsitan tempore Quadragesimae anni CCCLXXV. In quo eventu, qui commutavit penitus eius vitam ac fuit tempus conversionis et mutationis mentis, ipse sensit se in Iudicis conspectum pertrahi: «Interrogatus condicionem, Christianum me esse respondi. Et ille, qui residebat: "Mentiris", ait, "Ciceronianus es, non Christianus"».[2] Nam Hieronymus a iuventute amaverat perspicuam pulchritudinem textuum classicorum Latinorum, prae quibus primo tempore scripta Bibliorum videbantur ei rustica et mendosa, nimis aspera pro expolito eius iudicio litterarum.

Hic eventus vitae eius effecit ut ipse decerneret omnino se Christo eiusque Verbo dedicare, vires suas impendens quo divinae Litterae aliis usque magis paterent, suo labore indefatigabili traductoris et explanatoris. Hic eventus tribuit vitae eius novam et promptiorem directionem: Verbi Dei famulus fieri, veluti "Scripturae carnis" amator. Itaque, in continua inquisitione quae insignivit eius vitam, magni aestimavit sua studia iuvenilia atque institutionem Romae receptam, eruditionem suam denuo disponens in perfectiorem famulatum Deo et communitati ecclesiali.

Quapropter sanctus Hieronymus inter magnos viros Ecclesiae antiquae pleno iure ascitus est, aetate quae appellatur saeculum aureum Patristicae, verus pons factus inter Orientem et Occidentem: est amicus iuventutis Rufini Aquileiensis, occurrit Ambrosio Mediolanensi et habuit frequens epistolare commercium cum Augustino. In Oriente novit Gregorium Nazianzenum, Didymum Caecum, Epiphanium Salaminensem. Christiana traditio iconographica sacravit eum, cum inscriberet eum – una cum Augustino, Ambrosio et Gregorio Magno – inter quattuor magnos Doctores Ecclesiae Occidentis.

Iam Decessores Nostri variis in rerum adiunctis voluerunt memorare eius figuram. Unum abhinc saeculum, occasione data quintae decimae centenariae memoriae eius obitus, Benedictus XV dedicavit ei Litteras encyclicas *Spiritus Paraclitus* (diei XV Septembris MCMXX), ubi ipse est demonstratus mundo uti «doctor maximus explanandis Scripturis».[3] Recentioribus autem temporibus Benedictus XVI in duabus sequentibus catechesibus eius personam et opera exhibuit.[4] Nunc, decimo sexto centenario expleto ab

[2] *Ep.* 22,30: *CSEL* 54, 190.
[3] *AAS* 12 (1920), 385-423.
[4] Cfr *Audientiae Generales* diebus 7 et 14 Novembris 2007: *Insegnamenti,* III, 2 (2007), 553-556; 586-591.

eius obitu, cupimus etiam Nos memorare sanctum Hieronymum et denuo proponere validum eius nuntium ac doctrinam, incipientes ab eius magno affectu Scripturarum.

Hoc sensu, quadam in perfecta coniunctione ipse poni potest, tamquam dux certus ac testis praecipuus, cum XII Coetu Synodi Episcoporum, dicato Verbo Dei,[5] atque cum Adhortatione Apostolica *Verbum Domini* (VD) Decessoris Nostri Benedicti XVI, publici iuris facta ipsa in memoria Sancti, die XXX mensis Septembris anno MMX.[6]

Roma usque Bethlehem

Vita et itinerarium personale sancti Hieronymi peragebantur per vias imperii Romani, inter Europam et Orientem. Natus circiter anno CCCXLV Stridone, inter fines Dalmatiae et Pannoniae, in regione quae hodie pertinet ad Croatiam vel Sloveniam, in christiana familia solidam educationem recepit. Secundum suae aetatis consuetudinem baptizatus est adultus, tempore quo Romae rhetoricae studio incubuit, inter annos CCCLVIII et CCCLXIV. Hoc ipso tempore factus est lector avidissimus classicorum latinorum, quorum studio operam dedit, ducentibus illustrissimis magistris rhetoricae illius aevi.

Completis studiis, longum iter fecit in Galliam, quo pervenit Augustam Trevirorum, tunc sedem imperialem, hodie urbem Germaniae. Ibi primum orientalem vitam monasticam expertus est, a sancto Athanasio diffusam. Itaque altum desiderium excoluit, quod eum comitabatur Aquileiam, ubi inchoavit aliquibus cum amicis « chorum beatorum »,[7] tempus vitae communis.

Circiter anno CCCLXXIV, cum transiret Antiochiam, decrevit secedere in desertum Chalcidis, ubi ageret vitam asceticam asperis moribus insignitam, in qua magnum spatium reservabatur studio linguarum biblicarum, primum Graecae deindeque Hebraicae. Se cuidam fratri Hebraeo commisit, qui christianus factus erat, ut eum initiaret cognitioni ignotae linguae Hebraicae eiusque sonorum, quos definivit « stridentia anhelantiaque verba ».[8]

[5] SYNODUS EPISCOPORUM, *Nuntius ad Populum Dei XII Coetus Generalis ordinarii* (24 Octobris 2008).

[6] Cfr *AAS* 102 (2010), 681-787.

[7] *Chronicum* 374: *PL* 27, 697-698.

[8] *Ep*. 125,12: *CSEL* 56, 131.

Deserta, ubi deinde egit vitam eremiticam, electa sunt a Hieronymo in altiore sensu: sicut locus praecipuarum electionum vitae, interioris conversationis et occursus cum Deo, ubi per contemplationem, tentationes interiores, certamen spirituale, pervenit ad cognitionem infirmitatis, magis sibi conscius limitis sui et alterius, agnoscens « quanta magnitudo sit fletuum ».[9] Ita in desertis animadvertit Deum re adesse, hominis necessarium nexum cum Eo, eius misericordem consolationem. De hac re placet Nobis memorare dictum, in apocryphis relatum. Hieronymus quaesivit a Domino: "Quid vis a me?", et Ipse respondit: "Nondum mihi omnia dedisti". "Sed Domine, ego dedi tibi hoc et illud, et illud..." – "Aliquid deest". – "Quid?" – "Da mihi peccata tua, ut Ego gaudere possim adhuc ea dimittens".[10]

Reversus est Antiochiam, ubi presbyter ordinatus est ab Episcopo Paulino, inde petivit Constantinopolim, circiter anno CCCLXXIX, ubi novit Gregorium Nazianzenum ac prosecutus est studia sua, incumbens versioni in Latinum sermonem e Graeco maioris momenti operum (homiliarum Origenis et chronicorum Eusebii), temperie gaudens Concilii, celebrati hac in urbe anno CCCLXXXI. Illis annis in studio patefactae sunt eius affectio et magnanimitas. Quaedam benedicta inquietudo duxit eum et indefatigatum effecit ac ardentem in exquisitione: « Quotiens desperaverim, quotiensque cessaverim et contentione discendi rursus inceperim [...] quod de amaro semine litterarum dulces fructus » caperem.[11]

Anno CCCLXXXII Hieronymus Romam reversus est, Papae Damasi voluntati se committens qui, magnas eius dotes magni aestimans, eum sibi proximum operis socium elegit. Hic Hieronymus incubuit indesinenti actuositati, haud oblitus partem spiritualem: in Aventino, opem ferentibus Romanis matronis, quae cupiebant radicitus Evangelium eligere, ut Marcella, Paula eiusque filia Eustochium, cenaculum condidit institutum in lectione et studio diligenti Scripturae. Hieronymus fuit exegeta, magister, moderator spiritus. Hoc tempore incohavit revisionem anteriorum versionum Latinarum Evangeliorum, forsitan etiam aliarum partium Novi Testamenti; prosecutus est opus traductoris Origenis homiliarum et commentariorum in Scripturas, explicavit

[9] *Ep*. 122,3: *CSEL* 56, 63.

[10] Cfr *Meditatio matutina,* 10 Decembris 2015. Dictum relatum est in: A. Louf, *Sotto la guida dello Spirito*, Qiqaion, Magnano (BI) 1990, 154-155.

[11] Cfr *Ep*. 125,12: *CSEL* 56, 131.

frequens epistolare commercium, publice disputavit cum auctoribus haereticis, aliquando cum intemperantiis et immoderationibus, sed iugiter sincere motus desiderio defendendi veram fidem ac Scripturarum depositum.

Hoc intentum ac proficiens tempus intermisit Papae Damasi obitus. Sensit se cogi Romam relinquere et, in comitatu amicorum ac nonnullarum mulierum cupientium prosequi spiritualem experientiam et biblicum studium inceptum, profectus est in Aegyptum – ubi occurrit magno theologo Didymo Caeco – et in Palaestinam, ubi denique sedem sibi delegit Bethlehem anno CCCLXXXVI. Iterum coepit incumbere studiis philologicis, quae nectebantur cum locis quae narrationum biblicarum memorias servabant.

Locos sacros magni aestimavit, quod intellegitur non solum quia in Palaestina morari elegit ab anno CCCLXXXVI usque ad mortem, sed etiam de ministerio peregrinationibus oblato. Bethlehem, ipsimet peculiari loco, apud specum Nativitatis instituit duo gemina monasteria, virorum et mulierum, ubi peregrini venientes ad loca sancta hospitio acciperentur, suam cum ostenderet magnanimitatem in accipiendis hanc terram petentibus ut viderent ac tangerent loca historiae salutis, ita inquisitionem culturalem una et spiritualem coniungens.[12]

In ipsa Sacra Scriptura, cum eam audiret, Hieronymus invenit seipsum, vultum Dei atque fratrum, et excoluit suam dilectionem vitae communis. Inde eius desiderium manabat vivendi cum amicis, sicut iam fecerat tempore acto Aquileiae, et communitates monasticas instituendi, persequendo coenobiticam formam religiosae vitae quae monasterium habuit uti ludum ubi homines efformandi erant « qui omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent, [...] qui paupertate laetantur, quorum habitus [...] doctrina virtutum est ». Nam ad institutionem idoneum censebat « vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris consortioque multorum », ut discerentur humilitas, patientia, silentium et mansuetudo, itemque constaret quod « veritas angulos non amat nec quaerit susurrones ».[13] Insuper confessus est se « monasterii cellulas quaerere, ac formicarum illarum desiderare similitudinem, ubi laboratur in medium, cumque nihil cuiusquam proprium sit, omnium omnia sunt ».[14]

[12] Cfr *VD,* 89: *AAS* 102 (2010), 761-762.

[13] Cfr *Ep.* 125,9.15.19: *CSEL* 56, 128.133-134.139.

[14] *Vita Malchi monachi captivi* 7,3: *PL* 23, 59-60; *Opere storiche e agiografiche,* a cura di B. Degórski, *Opere di Girolamo,* XV, Città Nuova, Roma 2014, 196-199.

In studio Hieronymus non invenit fugax delectamentum ex se ipso cupiendum, sed vitae spiritualis exercitationem, instrumentum conducens ad Deum, et pariter eius institutio classica denuo composita est ad communitatem ecclesialem impensius iuvandam. Memoramus auxilium praebitum Papae Damaso, institutionem oblatam mulieribus, praesertim in lingua Hebraica ediscenda, a primo quidem cenaculo in Aventino, ita ut Paula et Eustochium attingerent « interpretum certamina »[15] et, quod illo tempore permirum erat, praestaret ut ipsae Psalmos Hebraice legerent et canerent.[16]

Humanus cultus eius fuit oblatus in servitium et propositus uti necessarius cuique evangelizatori. Sic admonuit amicum Nepotianum: « Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse et rabulam garrulumque, sed mysterii peritum et sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere et celeritate dicendi apud inperitum vulgus admirationem sui facere indoctorum hominum est. Adtrita frons interpretatur saepe, quod nescit, et, cum aliis suaserit, sibi quoque usurpat scientiam ».[17]

Bethlehem Hieronymus vixit, usque ad suam mortem anno CCCCXX, temporis spatium fecundissimum et impensum suae vitae, prorsus dicatum studio Scripturae, cum incumberet ingenti operae versionis totius Veteris Testamenti ex authentico sermone Hebraico. Eodem tempore exaravit commentaria in libros propheticos, Psalmos, Epistulas sancti Pauli, scripsit subsidia pro studio Bibliorum. Pretiosus labor positus in eius operibus fuit fructus comparationis et cooperationis, a transcriptione et collatione manuscriptorum ad considerationem et disputationem: « Fateor [...] numquam me in divinis Voluminibus propriis viribus credidisse nec habuisse magistram opinionem meam, sed etiam ea de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de his super quibus anceps eram ».[18] Idcirco, conscius sui limitis, petiit constans sustentaculum precum intercessionis pro perficienda versione textuum sacrorum « eodem spiritu quo scripti sunt »,[19] haud oblitus convertenda esse etiam opera auctorum qui maximi momenti sunt pro opere exegetico, uti Origenes, ita « ut proficere ad scientiam rerum volentibus materiam » praeberet.[20]

[15] *Praef. Esther* 2: *PL* 28, 1505.
[16] Cfr *Ep.* 108,26: *CSEL* 55, 344-345.
[17] *Ep.* 52,8: *CSEL* 54, 428-429; cfr *VD,* 60: *AAS* 102 (2010), 739.
[18] *Praef. Paralipomenon LXX*, 1.10-15: *SCh* 592, 340.
[19] *Praef. in Pentateuchum*: *PL* 28, 184.
[20] *Ep.* 80,3: *CSEL* 55, 105.

Hieronymi studium apparuit uti nisus in communitate et ad communitatem inserviendam expletus, synodalitatis exemplar etiam pro nobis, pro nostra aetate necnon pro diversis Ecclesiae culturalibus institutis, ut semper sint «loca ubi scientia fit servitium, quoniam sine scientia quae oritur ex collaboratione et se effundit in cooperatione non habetur progressus sincere et integre humanus».[21] Huiusmodi communionis fundamentum est Sacra Scriptura, quam soli legere nequimus: «Biblia scripta sunt a Dei Populo et pro Dei Populo, sub Spiritus Sancti afflatu. Tantummodo in hac communione cum Populo Dei vere ingredi possumus "nobiscum" in nucleum veritatis quam ipse Deus nobis dicere cupit».[22]

Solida vitae experientia, Verbo Dei alita, effecit ut Hieronymus, per frequens epistolare commercium, fieret moderator spiritus. Is in itinere comes factus est, persuasus quod «nulla ars absque magistro discitur», sicut scripsit Rustico: «Totum, quod adprehensa manu insinuare tibi cupio, quod quasi doctus nauta post multa naufragia rudem conor instruere vectorem».[23] Ex illo pacifico prospectu orbis secutus est genus humanum aetate magnarum eversionum, signata eventibus sicut Romae vastatione anno CCCCX, quae eum funditus permovit.

Epistulis commisit doctrinales controversias, semper ad rectam fidem defendendam, se revelans vir necessitudinum, quas fortiter ac suaviter coluit, in eas plane pertractus, sine fucatis formis, experiens quod «dilectio pretium non habet».[24] Itaque vixit suos affectus vehementer et sincere. Haec implicatio in rerum adiunctis ubi vixit et operatus est apparuit etiam in eo quod suum laborem interpretationis et commentationis obtulit uti munus amicitiae. Ante omnia donum est amicis, quibus destinavit ac dedicavit sua opera et a quibus quaesivit ut ea legerent oculis amici potius quam censoris, deindeque lectoribus, contemporaneis iisque cuiusque aetatis.[25]

Postremos annos vitae suae complevit in personali et communitaria lectione orante Scripturae, in contemplatione, in serviendo fratribus per sua opera. Omnia haec Bethlehem fecit, iuxta specum ubi Verbum caro

[21] *Nuntius occasione data XXIV sollemnis Sessionis publicae Pontificiarum Academiarum,* 4 Decembris 2019: *L'Osservatore Romano*, 6 Decembris 2019, p. 8.

[22] *VD,* 30: *AAS* 102 (2010), 709.

[23] *Ep.* 125,15.2: *CSEL* 56, 133.120.

[24] *Ep.* 3,6: *CSEL* 54, 18.

[25] Cfr *Praef. Iosue*, 1,9-12: *SCh* 592, 316.

factum est, conscius quod est «felix qui crucem, et resurrectionem, et locum nativitatis Christi, et locum ascensionis portat in pectore suo. Felix est qui Bethlehem habet in corde suo: in cuius corde Christus cotidie nascitur».[26]

Clavis sapientialis eius effigiei

Ut plane intellegatur persona sancti Hieronymi necessarium est coniungantur duae eius rationes propriae vivendi uti credentis: hinc absoluta et observans consecratio Deo, recusata qualibet humana delectatione, ob Christi crucifixi amorem (cfr *1 Cor* 2, 2; *Phil* 3, 8.10); illinc autem, munus assidui studii, intenti tantummodo ad usque plenius mysterium Domini intellegendum. Ipsa duplex testificatio, mirabiliter oblata a sancto Hieronymo, proposita est uti speculum: potissimum monachis, ut viventes in ascesi et oratione incitarentur ad sedulum laborem inquisitionis et meditationis; studiosis inde viris, qui recordentur oportet scientiam religiose valere tantum si fundatam amore exclusivo erga Deum, recusatione cuiusque humanae ambitionis omnisque mundanae affectationis.

Huiusmodi rationes receptae sunt in historia artis, ubi sancti Hieronymi effigies sunt frequentes: picturae occidentalis magni magistri reliquerunt nobis suas imagines. Varios typos iconographicos disponere possumus in duas denotatas series. Altera designat eum praesertim ut monachum et paenitentem, cum corpore sculpto ieiuniis, abditum in desertis, genu flexum vel in terra stratum, plerumque tenentem in dextera lapidem ad percutiendum sibi pectus, et cum oculis conversis ad Crucifixum. In hac serie ponitur commovens perinsigne opus Leonardi Vincii, quod servatur in Pinacotheca Vaticana. Altera ratio effingendi imaginem Hieronymi est illa quae eum nobis ostendit studiosum virum, sedentem ad suam scriptoriam mensam, intentum ad convertendam et commentandam Sacram Scripturam, circumdatum voluminibus et membranis, sustinentem missionem defendendi fidem dissertationibus et scriptis. Saepius effinxit eum hoc habitu – ut alterum exemplum illustris pictoris adducamus – Albertus Durerus.

Duae rationes supra memoratae inveniuntur copulatae in tela picta a Caravagio, servata in Pinacotheca Burghesia Romae: nam in una imagine ostenditur senex asceta, summatim vestitus panno rubro, qui in mensa habet calvam, symbolum vanitatis rerum terrestrium; sed item manifestatur

[26] *Homilia in Psalmum XCV*: *PL* 26, 1181; cfr S. Girolamo, *59 Omelie sui Salmi (1-115)*, a cura di A. Capone, *Opere di Girolamo,* IX/1, Città Nuova, Roma 2018, 357.

etiam fortiter studiosi qualitas, qui oculos in librum fixit, dum manus eius plumam intingit in calamario, in actu proprio scriptoris.

Simili modo – quem quidem dicere possumus sapientialem – intellegere debemus duplicem seriem curriculi biographici Hieronymi. Cum, uti verus «Leo de Bethlehem», elatis tonis effundebatur, id agebat ob inquirendam veritatem, cuius paratus fuit famulus fieri sine condicione. Et sicut ipse enarravit in prima sua opera, *Vita Sancti Pauli, eremitae Thebani*, leones emittere possunt "potentes rugitus", sed non lacrimas.[27] Hanc ob rationem, qui in eius figura videntur duo vultus iuxta positi re vera sunt elementa quibus Spiritus Sanctus concessit ei maturare suam interiorem unitatem.

Dilectio Sacrae Scripturae

Notio peculiaris figurae spiritualis sancti Hieronymi sine dubio fuit eius flagrans dilectio Verbi Dei, concrediti Ecclesiae in Sacra Scriptura. Si omnes Doctores Ecclesiae – ac praecipue prima aetate christiana – hauriebant explicite ex Bibliis suae doctrinae argumenta, Hieronymus id fecit modo magis ordinato et quodammodo unico.

Exegetae novissimis temporibus detegerunt narrativum et poëticum singulare ingenium Bibliorum, quod nempe exaltant ob eius significantem indolem. Hieronymus autem ostendit potius in Sacra Scriptura rationem humilem revelationis Dei, quae natura aspera et fere pristina linguae Hebraicae exprimitur, si comparatur cum subtilitate sermonis Latini Ciceronis. Non ergo propter gustum excultum ipse sese dicavit Sacrae Scripturae, sed – sicut valde notum est – tantum quia ad Christum cognoscendum ea illum duxit, quoniam ignorantia Scripturarum ignorantia Christi est.[28]

Hieronymus docuit nobis incumbendum esse non solum Evangeliis, nec tantum traditionem apostolicam, in Actibus Apostolorum et Epistulis enarratam, commentandam esse, quia totum Vetus Testamentum necessarium est ad veritatem perspiciendam ac divitias Christi.[29] Id attestantur ipsae paginae evangelicae: quae loquuntur nobis de Iesu tamquam Magistro qui, ut mysterium suum enarraret, memoravit Moysen, prophetas et Psalmos (cfr *Lc* 4, 16-21; 24, 27.44-47). Etiam praedicatio Petri et Pauli in Actibus Apostolorum significanter innititur in antiquis Scripturis: sine quibus plane

[27] Cfr *Vita S. Pauli primi eremitae*, 16,2: *PL* 23, 28; *Opere storiche e agiografiche,* op. cit., p. 111.

[28] Cfr *In Isaiam Prol.*: *PL* 24, 17; S. Girolamo, *Commento a Isaia (1-4)*, a cura di R. Maisano, *Opere di Girolamo,* IV/1, Città Nuova, Roma 2013, 52-53.

[29] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Dei Verbum,* 14.

intellegi non potest figura Filii Dei, Messiae Salvatoris. Vetus Testamentum haud considerandum est uti latum repertorium prolatorum textuum qui demonstrant adimpletas esse prophetias in persona Iesu Nazareni; e contra, tantum sub lumine figurarum Veteris Testamenti magis radicitus cognosci potest in plenitudine sensus eventus Christi, qui adimpletus est in eius morte et resurrectione. Inde necessitas datur detegendi in catechesi tradenda et in praedicatione, sicut etiam in tractatibus theologicis, necessarium tributum Veteris Testamenti, quod legendum et assumendum est uti pretiosum alimentum (cfr *Ez* 3, 1-11; *Apc* 10, 8-11).[30]

Plena Hieronymi deditio Sacrae Scripturae manifestatur quadam flagranti elocutione, simili ac antiquorum prophetarum. Ab eis Doctor noster percepit ignem interiorem qui fit verbum impetuosum et dirumpens (cfr *Ier* 5, 14; 20, 9; 23, 29; *Mal* 3, 2; *Eccli* 48,1; *Mt* 3, 11; *Lc* 12, 49), necessarium ad expromendum ardentem zelum servi causae Dei. Sequens vestigia Eliae, Ioannis Baptistae et etiam apostoli Pauli, indignatio in conspectu mendacii, simulationis et falsarum doctrinarum inflammabat sermonem Hieronymi, efficiens eum provocatorium et in speciem asperum. Polemica ratio scriptorum eius melius intellegi potest si consideratur uti species simulacri ubi antiquior traditio prophetica ad hodiernam rationem perducitur. Hieronymus igitur est exemplar inexorabilis testificationis veritatis, quae assumit severitatem reprehensionis ut ad conversionem inducat. Vehementia locutionum et imaginum manifestatur animus servi qui non hominibus vult placere, sed solummodo suo Domino (cfr *Gal* 1, 10), cui totum spiritualem suum vigorem insumpsit.

Sacrae Scripturae studium

Sancti Hieronymi amor fervidus divinarum Scripturarum oboedientia repletus est. Praesertim erga Deum, qui se communicavit verbis quae auscultationem reverentem postulant,[31] ac consequenter oboedientiam etiam erga eos qui in Ecclesia constituunt viventem traditionem in nuntio revelato explicando. Attamen «oboeditio fidei» (*Rom* 1, 5; 16, 26) non est tantum passiva susceptio illius quod notum est; illa, e contra, postulat actuosum studium propriae investigationis. Sanctum Hieronymum considerare possumus "ministrum" Verbi, fidelem et sedulum, omnino deditum fovendae in suis fratribus in fide congruentiori intellegentiae sacri «depositi» iis con-

[30] Cfr *ibid*.
[31] Cfr *ibid*., 7.

crediti (cfr *1 Tim* 6, 20; *2 Tim* 1, 14). Nisi intellegitur quod ab auctoribus inspiratis scriptum est, ipsum Verbum Dei caret efficientia (cfr *Mt* 13, 19) et Dei dilectio manare non potest.

Modo paginae biblicae non semper extemplo patent. Sicut in Isaia dictum est (29, 11), etiam iis qui "litteras" sciunt – id est, qui acceperunt sufficientem intellectus institutionem – liber sacer apparet "signatus", artissime interpretationi clausus. Quocirca necesse est ut quidam callens testis se interponat ad clavem liberantem afferendam, illam videlicet Christi Domini, qui solus dignus est aperire librum et solvere signacula eius (cfr *Apc* 5, 1-10), et itaque revelare mirificam gratiae effusionem (cfr *Lc* 4, 17-21). Multi deinde, etiam ex christianis qui fidem exercent, palam declarant se aptos non esse ad legendum (cfr *Is* 29, 12), non quia nescientes litteras, sed quia haud parati ad verba biblica intellegenda, itidem ad modos loquendi et ad traditiones culturales antiquas, quare textus biblicus apparet intellectu carens, sicut in litteris ignotis et in lingua abstrusa scriptus fuerit.

Necessaria ergo fit mediatio interpretis qui suo "diaconali" munere fungatur, se in ministerium ponens eorum qui nequeunt intellegere sensum rerum quae prophetice scriptae sunt. Imago quae convenienter evocari potest, est diaconi Philippi, incitati a Domino ut occurreret eunucho qui in curro legebat locum prophetae Isaiae (53, 7-8), tamen haud poterat aperire sensum. «Putas intellegis, quae legis?», interrogavit Philippus; et eunuchus respondit: «Et quomodo possum, nisi me aliquis docuerit?» (*Act* 8, 30-31).[32]

Hieronymus est moderator noster, sive quia – sicut fecit Philippus (cfr *Act* 8, 35) – conducit quemque legentem ad Iesu mysterium, sive quia scienter atque ordinate assumit mediationes exegeticas et culturales necessarias ad rectam et proficientem lectionem Sacrarum Scripturarum.[33] Peritia in linguis quibus Verbum Dei est traditum, diligenti analysi et aestimatione manuscriptorum, accurata inquisitione archaeologica, aeque ac cognitione historiae interpretationis – brevi cunctis auxiliis methodologicis quae eius aetate praesto erant – concorditer sapienterque ipse usus est ad dirigendam congruam intellegentiam Scripturae inspiratae.

Huiusmodi exemplaris ratio industriae sancti Hieronymi maximi est ponderis etiam hodie in Ecclesia. Si quidem, sicut docet *Dei Verbum*, Biblia

[32] *Ep. 53,5*: *CSEL* 54, 451; S. Girolamo, *Le lettere*, a cura di S. Cola, II, Città Nuova, Roma 1997, 54.

[33] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Dei Verbum*, 12.

sunt «veluti anima sacrae theologiae»[34] et veluti nervi spirituales religiosae conversationis christianae,[35] omnino necessarium est ut actus interpretationis Bibliorum sustineatur praecipuis peritiis.

Ad hunc finem consequendum haud dubie perutiles sunt excellentes sedes inquisitionis biblicae (sicut Romae Pontificium Institutum Biblicum et Hierosolymis Schola Biblica Hierosolymitana atque Studium Biblicum Franciscanum) et patristicae (sicut Institutum Patristicum Augustinianum Romae), sed etiam quaeque Facultas Theologiae necesse est ut operam det ad munus docendi Sacram Scripturam ita disponendum ut studentibus praebeatur idoneitas competentis interpretationis, sive in textuum exegesi sive in theologiae biblicae synthesi apparanda. Divitiae Scripturarum, pro dolor, a multis ignorantur vel ad minimum rediguntur, quoniam non sunt iis praebita essentialia fundamenta cognitionis. Praeter igitur studiorum ecclesiasticorum incrementum, quae congruentius aestiment peritiam in Sacris Scripturis et ad sacerdotes et catechistas convertantur, promoveatur oportet institutio in omnes christianos extenta, ut quisque librum sacrum aperire atque ex eo inaestimabiles fructus sapientiae, spei et vitae trahere valeat.[36]

Hic recordari volumus quae scripta sunt a Decessore Nostro in Adhortatione apostolica *Verbum Domini*: «Qualitas sacramentalis Verbi ita intellegi potest in analogia cum praesentia reali Christi sub speciebus panis et vini consecratis. [...] De modo se gerendi erga Eucharistiam atque erga Verbum Dei sanctus Hieronymus affirmat: "Legimus sanctas Scripturas. Ego corpus Iesu Evangelium puto; sanctas Scripturas puto doctrinam eius. Et quando dicit: *Qui non comederit carnem meam et biberit sanguinem meum* (*Io* 6, 53), licet et in Mysterio [eucharistico] possit intellegi, tamen vere corpus Christi et sanguis eius sermo Scripturarum est, doctrina divina est"».[37]

Pro dolor, in multis christianis familiis nemo se idoneum sentit – sicut vero est mandatum in *Tôrah* (cfr *Dt* 6, 6-7) – ut filiis Verbum Domini proponat, cum omni eius pulchritudine, cum omni eius vigore spirituali. Hac de causa decrevimus Dominicam Verbi Dei instituere,[38] adhortantes ad lectionem orantem Bibliorum et consuetudinem cum Verbo Dei.[39] Ita

[34] *Ibid.*, 24.
[35] Cfr *ibid.*, 25.
[36] Cfr *ibid.*, 21.
[37] N. 56; cfr *In Psalmum CXLVII*: *CCL* 78, 337-338; S. Girolamo, *59 Omelie sui Salmi (119-149)*, a cura di A. Capone, *Opere di Girolamo,* IX/2, Città Nuova, Roma 2018, p. 171.
[38] Cfr Litt. ap. motu proprio datae *Aperuit illis* (30 Septembris 2019).
[39] Cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium*, 152.175: *AAS* 105 (2013), 1083-1084.1093.

quaecumque alia devotionis manifestatio sensu locupletabitur, in bonorum ordinem dirigetur atque convertetur ad illud quod culmen fidei constituit, videlicet ad plenam Christi mysterio adhaesionem.

Vulgata

"Dulcissimus fructus laboriosi satus"[40] studii linguae Graecae et Hebraicae expleti a Hieronymo est conversio Veteris Testamenti in linguam Latinam ex Hebraico textu authentico. Usque ad illud tempus Romani imperii christiani Biblia in totum legere poterant tantum in lingua Graeca. Nam libri Novi Testamenti Graece scripti sunt, dum Veteris Testamenti exstitit versio Graeca integra, appellata a *Septuaginta* (id est versio a Septuaginta viris facta), pro Hebraica communitate Alexandrina circiter II saeculo a.Chr.n. exarata. Lectoribus autem linguae Latinae non erat praesto Bibliorum versio integra in eorum sermone, sed tantum quaedam partiales et incompletae versiones ex lingua Graeca translatae. Hieronymi, et postea eorum qui opus eius prosecuti sunt, laus est susceptae revisionis novaeque versionis totius Scripturae. Romae incepta revisione Evangeliorum et Psalmorum, hortante Papa Damaso, Hieronymus inde suo in recessu Bethlehem incohavit conversionem omnium librorum Veteris Testamenti directo ex lingua Hebraica: quae opera per annos continuata est.

Ad hunc laborem consummandum, Hieronymus usus est sua cognitione linguae Graecae et Hebraicae necnon solida institutione in litteris Latinis, itemque instrumentis philologis quae ei praesto erant, praesertim *Hexapla* Origenis. Textus postremus coniunxit continuitatem in formulis, quae iam in usum communem erant ingressae, cum maiore adhaesione textui Hebraico, haud neglecta elegantia linguae Latinae. Hic fructus verum est monumentum quod historiam culturalem Occidentis signavit, conformans eius linguam theologicam. Versio Hieronymi, victis quibusdam initialibus recusationibus, statim facta est commune patrimonium tum doctorum, cum populi christiani, unde suscepit nomen *Vulgata*.[41] Europa media aetate didicit legere, orare et cogitare ex paginis Bibliorum, quae conversa sunt a Hieronymo. Itaque «Sacra Scriptura facta est in speciem "immensi lexici" (P. Claudel) et "atlantis iconographici" (M. Chagall), unde hauserunt culturam et artem

[40] Cfr *Ep*. 52,3: *CSEL* 54, 417.
[41] Cfr *VD*, 72: *AAS* 102 (2010), 746-747.

christianam ».[42] Litterae, artes et etiam sermo vulgaris constanter hauriebant ex versione Hieronymi Bibliorum, ac reliquerunt nobis thesauros pulchritudinis ac devotionis.

Huic rei indubitabili obsequens, Concilium Tridentinum statuit « authenticam » indolem Vulgatae per decretum *Insuper*, honorem tribuens saeculari usui quem Ecclesia de ea fecerat eiusque valorem attestans uti instrumenti studii, praedicationis et publicarum disputationum.[43] Attamen, illud noluit magnum momentum originis linguarum minimi facere, sicut Hieronymus plerumque recordabatur, et nihilominus futuro tempore vetare nova incepta integrae versionis. Sanctus Paulus VI, mandatum suscipiens Patrum Concilii Oecumenici Vaticani II, voluit ut opera versionis Vulgatae revisendae ad finem adduceretur et universae Ecclesiae offerretur. Itaque sanctus Ioannes Paulus II anno MCMLXXIX per Constitutionem apostolicam *Scripturarum thesaurus* promulgavit editionem typicam *Novae Vulgatae*.[44]

Opus convertendi tamquam inculturatio

Hac sua versione Hieronymus valuit "inculturare" Biblia in linguam et culturam Latinam, et haec eius opera facta est paradigma permanens pro actione missionaria Ecclesiae. Etenim « cum communitas accipit nuntium salutis, Spiritus Sanctus fecundat eius culturam per transformantem Evangelii vim »,[45] et sic instauratur quaedam species circularitatis: sicut versio Hieronymi debet linguae et culturae classicorum Latinorum, quorum vestigia clare reperiuntur, ita ipsa, suo sermone et nuntio symbolorum et imaginum, vicissim facta est elementum efficiens culturam.

Opera versionis Hieronymi nos docet valores formasque bonas cuiusque culturae posse augere divitias universae Ecclesiae. Diversi modi quibus Verbum Dei annuntiatur, intellegitur et perficitur in quaque nova versione, augent divitias ipsius Scripturae, quoniam ea, secundum celebrem sententiam Gregorii Magni, crescit cum lectore,[46] per saecula recipiens novos accentus et sonos. Inclusio Bibliorum et Evangelii in varias culturas vult Ecclesiam manifestari usque magis « quasi sponsam ornatam monilibus suis » (*Is* 61, 10). Et testatur eodem tempore Biblia indigere ut constanter convertantur in

[42] Ioannes Paulus II, *Epistula ad artis cultores* (4 Aprilis 1999), 5: *AAS* 91 (1999), 1159-1160.
[43] Cfr Denzinger-Schönmetzer, *Enchiridion Symbolorum*, 1506.
[44] 25 Aprilis 1979: *AAS* LXXI (1979), 557-559.
[45] Adhort. ap. *Evangelii gaudium*, 116: *AAS* 105 (2013), 1068.
[46] *Hom. in Ezech*. I, 7: *PL* 76, 843D.

genera linguarum et mentium cuiusque culturae et cuiusque generationis, etiam in saecularizata globali cultura nostrae aetatis.[47]

Memoratum est, et recte quidem, posse similitudinem institui inter versionem, uti actum hospitalitatis linguisticae, et alias formas receptionis.[48] Quapropter conversio haud est opus quod pertinet tantummodo ad linguam, sed revera congruit cum ampliore iudicio ethico, quod nectitur cum universa vitae visione. Sine versione diversae communitates linguisticae non possent inter se communicare; nos alii aliis clauderemus historiae portas et tolleremus facultatem culturam occursus construendi.[49] Etenim sine versione non datur hospitalitas, immo, augentur usus hostilitatis. Interpres pontes efficit. Quot iudicia praecipitia, quot damnationes et contentiones nascuntur ex eo quod ignoramus linguam aliorum et non incumbimus firma spe huic continuae demonstrationi amoris quae est versio!

Etiam Hieronymus menti principi sui temporis pugnare oportuit. Si in primordiis Romani imperii cognoscere linguam Graecam res satis communis fuit, eius aetate iam rara facta est. Ipse utique annumeratus est inter meliores linguae et litterarum Graecarum christianarum peritos, et adhuc magis arduum iter suscepit solitarius cum studio linguae Hebraicae se dicavit. Si quidem, sicut scriptum est, « fines mei sermonis sunt fines mei orbis »,[50] dicere possumus nos plurium linguarum scientiae sancti Hieronymi debere magis universalem intellegentiam christianismi ac eodem tempore magis congruentem eius cum fontibus.

Cum celebratur sexta decima centenaria memoria ab obitu sancti Hieronymi, respicitur extraordinaria vitalitas missionaria demonstrata versione Verbi Dei in plus quam tria milia linguarum. Plurimi sunt missionarii quibus debentur pretiosa opera editionis librorum grammaticae, lexicorum aliorumve instrumentorum linguae quae praebent fundamenta communicationi humanae et sunt vehicula pro « somnio missionario perveniendi ad omnes ».[51] Necesse est haec omnia opera magni aestimare et fovere, operam dando ad superandos fines ubi fieri non possunt communicatio et occursus. Adhuc multa sunt agenda. Sicut affirmatum est, non haberi intellegentiam sine conversione:[52] non enim intellegere posse nos ipsos nec alios.

[47] Cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium*, 116: *AAS* 105 (2013), 1068.
[48] Cfr P. Ricoeur, *Sur la Traduction*, Bayard, Paris 2004.
[49] Cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium*, 24: *AAS* 105 (2013), 1029-1030.
[50] L. Wittgenstein, *Tractatus logico-philosophicus*, 5.6.
[51] Adhort. ap. *Evangelii gaudium*, 31: *AAS* 105 (2013), 1033.
[52] Cfr G. Steiner, *After Babel. Aspects of Language and Translation*, Oxford University Press, New York 1975.

Hieronymus et Cathedra Petri

Hieronymus semper peculiarem necessitudinem cum Romana urbe habuit: Roma fuit spiritualis portus ubi constanter reversus est; Romae humanam institutionem accepit et christianus factus est; ipse fuit *homo Romanus*. Singulari prorsus modo hic nexus evenit in lingua Urbis, sermone Latino, cuius fuit magister et cultor, sed fuit ante omnia iunctus Ecclesiae Romanae, et praesertim cathedrae Petri. Traditio iconographica, etsi modo anachronico, ostendit eum cum purpura cardinalitia, ita significans eum pertinuisse ad presbyterium Romanum apud Papam Damasum. Romae coepit opus revisionis et conversionis Bibliorum. Et etiam cum invidiae et simultates coëgerunt eum ut Urbem derelinqueret, semper mansit firmiter iunctus cathedrae Petri.

Hieronymo Ecclesia Romana fuit terra fecunda ubi semen Christi fert multum fructum.[53] Aetate inquieta, qua inconsutilis tunica Ecclesiae saepius divisionibus inter christianos lacerata est, Hieronymus respexit cathedram Petri uti securam rationem: «Ego nullum primum nisi Christum sequens, [...] cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio». In mediis disputationibus contra Arianos scripsit Damaso: «Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est».[54] Idcirco potuit etiam affirmare: «Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est».[55]

Hieronymus saepe tractus est in asperas disputationes fidei causa. Eius veritatis dilectio ardensque Christi defensio induxerunt eum forsitan ut excederet vehementia verborum suis in epistulis aliisque scriptis. Ipse tamen vixit ad pacem conversus: «Volumus et nos pacem, et non solum volumus, sed rogamus, sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem, in qua non sit bellum involutum, pacem, quae non adversarios subicit, sed amicos iungit!».[56]

Noster mundus maxime indiget medicina misericordiae et communionis. Sinite ut iterum dicamus: testificemur communionem fraternam quae fiat attrahens et luminosa.[57] «In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis:

[53] Cfr *Ep*. 15,1: *CSEL* 54, 63.
[54] *Ibid.*, 15,2: *CSEL* 54, 62-64.
[55] *Ibid.*, 16,2: *CSEL* 54, 69.
[56] *Ibid.*, 82,2: *CSEL* 55, 109.
[57] Cfr Adhort. ap. *Evangelii gaudium*, 99: *AAS* 105 (2013), 1061.

si dilectionem habueritis ad invicem» (*Io* 13, 35). Hoc intenta oratione rogavit Iesus a Patre: «Ut omnes [...] in nobis unum sint: ut mundus credat» (*Io* 17, 21).

Amare quod Hieronymus amavit

In conclusione huius Epistulae cupimus ad omnes postremam cohortationem convertere. Inter tot laudes a posterioribus sancto Hieronymo tributa est quod ipse non est consideratus simpliciter unus ex maioribus cultoribus "bibliothecae", qua alitur christiana religio decurrentibus temporibus, initio sumpto a thesauro Sacrarum Scripturarum; de eo vere dici potest quod ipse scripsit de Nepotiano: «Lectione adsidua et meditatione diuturna pectus suum bibliothecam fecerat Christi».[58] Hieronymus non pepercit conatibus ut locupletaret suam bibliothecam, in qua semper vidit officinam necessariam ad fidem intellegendam vitamque spiritualem colendam; et hac in re ipse est mirum exemplar etiam nostrae aetati. Sed ipse ultra progressus est. Ipsius studium non est circumscriptum intra iuveniles annos institutionis, fuit constans munus, prioritas omnis diei eius vitae. In summa affirmare possumus eum sumpsisse totam quandam bibliothecam et factum esse dispensatorem scientiae plurimis aliis. Postumianus, qui IV saeculo peregrinatus est in Orientem ut motus monasticos cognosceret, fuit testis ocularis vitae moris Hieronymi, apud quem aliquot menses moratus est, et sic eum descripsit: «Totus semper in lectione, totus in libris est; non die neque nocte requiescit: aut legit aliquid semper aut scribit».[59]

In hac re saepe cogitamus de experientia quam nostro tempore facere potest quidam iuvenis ingrediens aliquam librariam suae urbis, vel paginam interretis, et quaerens ibi partem librorum religiosorum. Est pars quae, si exstat, saepenumero non solum est neglecta, sed carens operibus valentibus. Perquirens illa plutea, vel illas paginas interretis, difficulter iuvenis potuerit intellegere quomodo religiosa inquisitio possit ardentem eventum efficere qui coniungit mentem et cor; quomodo sitis Dei accenderit egregias mentes cuncta per saecula usque ad hodie; quomodo vitae spiritualis maturatio contagio infecerit theologos et philosophos, cultores artium et poëtas, historicos et doctos viros. Magna quaestio hodierna, non tantum

[58] *Ep.* 60,10: *CSEL* 54, 561.
[59] SULPICIUS SEVERUS, *Dialogus* I, 9, 5: *SCh* 510, 136-138.

religionis, est litterarum ignorantia: deficiunt peritiae hermeneuticae quae valeant nos interpretes et traductores credibiles efficere ipsius nostrae traditionis culturalis. Praesertim ad iuvenes volumus provocationem dirigere: proficiscemini ad requirendam vestram hereditatem. Christianismus vos facit heredes insuperabilis patrimonii culturalis, cuius debetis possessionem usurpare. Inflammamini hac historia, quae est vestra. Audete figere oculos vestros in illum inquietum iuvenem Hieronymum qui, sicut homo negotiator de parabola Iesu, vendidit omnia quae habuit, ut acquireret margaritam pretiosam (cfr *Mt* 13, 46).

Revera, Hieronymus est « Bibliotheca Christi », bibliotheca perennis, quae sedecim post saecula prosequitur docere nos quid sibi velit dilectio Christi, dilectio quae seiungi non potest ab occursu cum eius Verbo. Qua de causa haec centenaria memoria constituit invitationem ad amandum quod Hieronymus amavit, detegendo eius scripta, dum sinit ut tangamur spiritualitate quae describi potest, in eius nucleo vitalissimo, tamquam desiderium inquietum et ardens magis cognoscendi Dei Revelationem. Quidni auscultemus hac nostra aetate illud ad quod Hieronymus incessanter excitabat homines aetatis suae: « Divinas Scripturas saepius lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur »?[60]

Splendidum exemplum est Virgo Maria, invocata a Hieronymo, potissimum in eius maternitate virginali, sed etiam in eius habitu lectricis orantis Scripturae. Maria meditabatur omnia, « conferens in corde suo (cfr *Lc* 2, 19.51): quoniam sancta erat, et sanctas Scripturas legerat, et sciebat prophetas, recordabatur quod angelus Gabriel sibi dixerat illa, quae dicta sunt in prophetis. [...] Videbat iacentem puerum, videbat in praesepe puerum vagientem, iacentem Dei Filium, suum Filium, unum Filium: videbat iacentem, et conferebat quae audierat, quaeque legerat, cum his quae videbat ».[61] Committamus nos Ei quae melius quam quivis alius potest nos docere quomodo legere, meditari, orare et contemplari Deum qui adest in nostra vita usque mansurus.

Datum Romae, Laterani, die XXX mensis Septembris, anno MMXX, Pontificatus Nostri octavo.

FRANCISCUS PP.

[60] *Ep*. 52,7: *CSEL* 54, 426.
[61] *Homilia de nativitate Domini* IV: *PL Suppl*. 2,191.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

SICUANENSIS

In Peruvia Praelatura territorialis Sicuanensis in dioecesim eodem nomine extollitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Miro ordine eorum dispensatis ministeriis atque muneribus, qui ad ministrandum Deo vocati sunt, Dominum benedicamus propter Ecclesiae incrementum, quod ex consociato fidelium labore et laudando missionariorum opere indesinenter manat. Nam in his apostolici Nostri laboris partes libenter interponentes, per quae dioecesium regimini opportune consulatur, petitionem Venerabilis Fratris Petri Alberti Bustamante López, Episcopi Praelati Sicuanensis, libenter accepimus, qui, audita Conferentia Episcopali Peruviana, ab Apostolica Sede suppliciter postulavit, ut memorata praelatura ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur.

Nosmet Ipsi, prospero Venerabilis Fratris Nicolai Girasoli, Archiepiscopi titulo Egnatini in Apulia et Apostolici Nuntii in Peruvia, praehabito voto, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque excipiendas decrevimus. Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, dictam praelaturam territorialem, iisdem servatis finibus, ad gradum et dignitatem dioecesis extollimus Sicuanensis appellandae eiusdemque Episcopum Venerabilem Fratrem Petrum Albertum Bustamante López primum Episcopum nominamus, omnibus cum iuribus atque oneribus, quibus omnes Episcopi dioecesani gaudent vel adstringuntur.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Sicuano decernimus templumque adhuc praelaticium ibi exstans, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Novam insuper dioecesim Sicuanensem Metropolitanae Ecclesiae

Cuschensis suffraganeam constituimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Metropolitanae Ecclesiae subicimus.

Simul ac Sicuanensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso censeatur illi incardinatus clerus hactenus praelaturae adscriptus.

Cetera vero ad dignam Praesulis sustentationem, ad Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad constitutionem Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis, ad bonorum administrationem et Administratoris dioecesani sede vacante electionem pertinentia, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Peruvia pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Deum quippe quaesumus, ut, populus fidelis huius dioecesis de die in diem ad caritatis fidei transferat actionem et, suscepta misericordia, a Christi numquam cesset laude.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die undetricesimo mensis Septembris, anno Domini bis millesimo vicesimo, Pontificatus Nostri octavo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 507.470

ALLOCUTIO

Ad participes Occursus «Communitatum *Laudato si'*».*

Cari fratelli e sorelle, buongiorno!

Vi do il benvenuto, e salutando voi desidero raggiungere tutti i membri delle *Comunità Laudato si'* in Italia e nel mondo. Ringrazio il Signor Carlo Pertini nella mia lingua paterna, non materna: "Carlìn". Avete posto come centro propulsore di ogni vostra iniziativa *l'ecologia integrale* proposta dall'Enciclica *Laudato si'*. Integrale, perché tutti siamo creature e tutto nel creato è in relazione, tutto è correlato. Anzi, oserei dire, tutto è armonico. Anche la pandemia lo ha dimostrato: la salute dell'uomo non può prescindere da quella dell'ambiente in cui vive. È poi evidente che i cambiamenti climatici non stravolgono solo gli equilibri della natura, ma provocano povertà e fame, colpiscono i più vulnerabili e a volte li obbligano a lasciare la loro terra. L'incuria del creato e le ingiustizie sociali si influenzano a vicenda: si può dire che non c'è ecologia senza equità e non c'è equità senza ecologia.

Voi siete motivati a prendervi cura degli ultimi e del creato, insieme, e volete farlo sull'esempio di San Francesco d'Assisi, con mitezza e laboriosità. Vi ringrazio per questo, e rinnovo l'appello a impegnarsi per salvaguardare la nostra casa comune. È un compito che riguarda tutti, specialmente i responsabili delle nazioni e delle attività produttive. Serve la volontà reale di affrontare alla radice le cause degli sconvolgimenti climatici in atto. Non bastano impegni generici – parole, parole... – e non si può guardare solo al consenso immediato dei propri elettori o finanziatori. Occorre guardare lontano, altrimenti la storia non perdonerà. Serve lavorare oggi per il domani di tutti. I giovani e i poveri ce ne chiederanno conto. È la nostra sfida. Prendo una frase del teologo martire Dietrich Bonhoeffer: la nostra sfida, oggi, non è "come ce la caviamo", come noi usciamo da questa realtà; la nostra sfida vera è "come potrà essere la vita della prossima generazione": dobbiamo pensare a questo!

* Die 12 Septembris 2020.

Cari amici, ora vorrei condividere con voi due parole-chiave dell'ecologia integrale: *contemplazione* e *compassione*.

Un caso del tutto speciale in cui oggi è necessario riaffermare l'insegnamento della Chiesa è l'accompagnamento pastorale di colui che ha chiesto espressamente l'eutanasia o il suicidio assistito. Rispetto al sacramento della Riconciliazione, il confessore deve assicurarsi che ci sia contrizione, *la quale è necessaria per la validità dell'assoluzione*, e che consiste nel « dolore dell'animo e la riprovazione del peccato commesso, accompagnato dal proposito di non peccare più in avvenire ».[89] Nel nostro caso, ci troviamo davanti ad una persona che, oltre le sue disposizioni soggettive, ha compiuto la scelta di un atto gravemente immorale e persevera in esso liberamente. Si tratta di una manifesta non-disposizione per la recezione dei sacramenti della Penitenza, con l'assoluzione,[90] e dell'Unzione,[91] così come del Viatico.[92] Potrà ricevere tali sacramenti nel momento in cui la sua disposizione a compiere dei passi concreti permetta al ministro di concludere che il penitente ha modificato la sua decisione. Ciò comporta anche che una persona che si sia registrata in un'associazione per ricevere l'eutanasia o il suicidio assistito debba mostrare il proposito di annullare tale iscrizione, prima di ricevere i sacramenti. Si ricordi che la necessità di posporre l'assoluzione non implica un giudizio sull'imputabilità della colpa, in quanto la responsabilità personale potrebbe essere diminuita o perfino non sussistere.[93] Nel caso in cui il paziente fosse ormai privo di coscienza, il sacerdote potrebbe amministrare i sacramenti *sub condicione* se si può presumere il pentimento a partire da qualche segno dato anteriormente dalla persona malata.

Questa posizione della Chiesa non è segno di mancanza d'accoglienza del malato. Essa deve essere, infatti, unita all'offerta di un aiuto e di un ascolto sempre possibili, sempre concessi, insieme ad una approfondita spiegazione

[87] Cfr Francesco, Lett. Enc. *Laudato si'* (24 maggio 2015), n. 235: *AAS* 107 (2015), 939.

[88] Cfr Giovanni Paolo II, Lett. Enc. *Evangelium vitae* (25 marzo 1995), n. 67: *AAS* 87 (1995), 478-479.

[89] Concilio di Trento, Sess. XIV, *De sacramento paenitentiae*, cap. 4: *DH* 1676.

[90] Cfr *CIC*, can. 987.

[91] Cfr *CIC*, can. 1007: « Non si conferisca l'unzione degli infermi a coloro che perseverano ostinatamente in un peccato grave manifesto ».

[92] Cfr *CIC*, can. 915 e can. 843 § 1.

[93] Cfr Congregazione per la Dottrina della Fede, Dich. *Iura et bona* (5 maggio 1980), II: *AAS* 72 (1980), 546.

del contenuto del sacramento, al fine di dare alla persona, fino all'ultimo momento, gli strumenti per poterlo scegliere e desiderare. La Chiesa, infatti, è attenta a scrutare i segni di conversione sufficienti, perché i fedeli possano chiedere ragionevolmente la ricezione dei sacramenti. Si ricordi che posporre l'assoluzione è anche un atto medicinale della Chiesa, volto, non a condannare il peccatore, ma a muoverlo e accompagnarlo verso la conversione.

Cosicché, anche nel caso in cui una persona non si trovi nelle condizioni oggettive per ricevere i sacramenti, è necessaria una vicinanza che inviti sempre alla conversione. Soprattutto se l'eutanasia, richiesta o accettata, non verrà praticata in breve tempo. Ci sarà allora la possibilità di un accompagnamento per far rinascere la speranza e modificare la scelta erronea, così che al malato sia aperto l'accesso ai sacramenti.

Tuttavia, non è ammissibile da parte di coloro che assistono spiritualmente questi infermi alcun gesto esteriore che possa essere interpretato come un'approvazione dell'azione eutanasica, come ad esempio il rimanere presenti nell'istante della sua realizzazione. Tale presenza non può che interpretarsi come complicità. Questo principio riguarda in particolar modo, ma non solo, i cappellani delle strutture sanitarie ove può essere praticata l'eutanasia, che non devono dare scandalo mostrandosi in qualsiasi modo complici della soppressione di una vita umana.

12. *La riforma del sistema educativo e della formazione degli operatori sanitari*

Nel contesto sociale e culturale odierno, così denso di sfide in relazione alla tutela della vita umana nelle fasi più critiche dell'esistenza, il ruolo dell'educazione è ineludibile. La famiglia, la scuola, le altre istituzioni educative e le comunità parrocchiali devono lavorare con perseveranza per il risveglio e l'affinamento di quella sensibilità verso il prossimo e la sua sofferenza, di cui è diventata simbolo la figura del Samaritano evangelico.[94]

Le cappellanie ospedaliere sono tenute ad ampliare la formazione spirituale e morale degli operatori sanitari, inclusi medici e personale infermieristico, così come dei gruppi di volontariato ospedalieri, perché sappiano fornire l'assistenza umana e psicologica necessaria nelle fasi terminali della

[94] Cfr Giovanni Paolo II, Lett. Ap. *Salvifici doloris* (11 febbraio 1984), n. 29: *AAS* 76 (1984), 244-246.

vita. La cura psicologica e spirituale del paziente durante tutto il decorso della malattia deve essere una priorità per gli operatori pastorali e sanitari, avendo cura di porre al centro il paziente e la sua famiglia.

Le cure palliative devono essere diffuse nel mondo ed è doveroso predisporre a tal fine corsi di laurea per la formazione specialistica degli operatori sanitari. Prioritaria è anche la diffusione di una corretta e capillare informazione sulla efficacia di autentiche cure palliative per un accompagnamento dignitoso della persona fino alla morte naturale. Le istituzioni sanitarie di ispirazione cristiana devono predisporre linee-guida per i propri operatori sanitari che includano una appropriata assistenza psicologica, morale e spirituale come componente essenziale delle cure palliative.

L'assistenza umana e spirituale deve rientrare nei percorsi formativi accademici di tutti gli operatori sanitari e nei tirocini ospedalieri.

Oltre a ciò, le strutture sanitarie e assistenziali devono predisporre *modelli di assistenza* psicologica e spirituale agli operatori sanitari che hanno in carico i pazienti nelle fasi terminali della vita umana. *Prendersi cura di chi cura* è essenziale per evitare che sugli operatori e i medici ricada tutto il peso (*burn out*) della sofferenza e della morte dei pazienti inguaribili. Essi hanno bisogno di sostegno e di momenti di confronto e ascolto adeguati per poter elaborare non solo valori ed emozioni, ma anche il senso dell'angoscia, della sofferenza e della morte nell'ambito del loro servizio alla vita. Devono poter percepire il senso profondo di speranza e la consapevolezza che la propria missione è una vera vocazione a sostenere e accompagnare il mistero della vita e della grazia nelle fasi dolorose e terminali dell'esistenza.[95]

Conclusione

Il mistero della Redenzione dell'uomo è in modo sorprendente radicato nel coinvolgimento amorevole di Dio con la sofferenza umana. Ecco perché possiamo fidarci di Dio e trasmettere questa certezza nella fede all'uomo sofferente e spaventato dal dolore e dalla morte.

[95] Cfr Francesco, *Discorso ai dirigenti degli Ordini dei Medici di Spagna e America Latina* (9 giugno 2016): *AAS* 108 (2016), 727-728: «La fragilità, il dolore e la malattia sono una dura prova per tutti, anche per il personale medico, sono un appello alla pazienza, al soffrire-con; perciò non si può cedere alla tentazione funzionalista di applicare soluzioni rapide e drastiche, mossi da una falsa compassione o da meri criteri di efficienza e di risparmio economico. A essere in gioco è la dignità della vita umana; a essere in gioco è la dignità della vocazione medica».

La testimonianza cristiana mostra come la speranza sia sempre possibile, anche all'interno della cultura dello scarto. «L'eloquenza della parabola del Buon Samaritano, come anche di tutto il Vangelo, è in particolare questa: l'uomo deve sentirsi *come chiamato in prima persona* a testimoniare l'amore nella sofferenza».[96]

La Chiesa impara dal Buon Samaritano la cura del malato terminale e obbedisce così al comandamento connesso al dono della vita: «*rispetta, difendi, ama e servi la vita, ogni vita umana!*».[97] Il vangelo della vita è un vangelo della compassione e della misericordia indirizzato all'uomo concreto, debole e peccatore, per sollevarlo, mantenerlo nella vita di grazia e, se possibile, guarirlo da ogni possibile ferita.

Non basta, tuttavia, condividere il dolore, bisogna immergersi nei frutti del Mistero Pasquale di Cristo per vincere il peccato e il male, con la volontà di «rimuovere la miseria altrui come si trattasse della propria».[98] La miseria più grande consiste, però, nella mancanza di speranza davanti alla morte. Questa è la speranza annunciata dalla testimonianza cristiana, la quale, per essere efficace, deve essere vissuta nella fede, coinvolgendo tutti, familiari, infermieri, medici, e la pastorale delle diocesi e dei centri ospedalieri cattolici, chiamati a vivere con fedeltà *il dovere d'accompagnamento* dei malati in tutte le fasi della malattia, e in particolare nelle fasi critiche e terminali della vita, così come definito nel presente documento.

Il Buon Samaritano, che pone al centro del suo cuore il volto del fratello in difficoltà, sa vedere il suo bisogno, gli offre tutto il bene necessario per sollevarlo dalla ferita della desolazione e apre nel suo cuore luminose feritoie di speranza.

Il "volere il bene" del Samaritano, che si fa prossimo dell'uomo ferito non a parole né con la lingua, ma con i fatti e nella verità (cfr *1 Gv* 3, 18), prende la forma di cura, sull'esempio di Cristo il quale passò beneficando e sanando tutti (cfr *At* 10, 38).

Guariti da Gesù, diveniamo uomini e donne chiamati ad annunciare la sua potenza sanante, ad amare e a prenderci cura del prossimo come Lui ci ha testimoniato.

[96] Giovanni Paolo II, Lett. Ap. *Salvifici doloris* (11 febbraio 1984), n. 29: *AAS* 76 (1984), 246.
[97] Giovanni Paolo II, Lett. Enc. *Evangelium vitae* (25 marzo 1995), n. 5: *AAS* 87 (1995), 407.
[98] Tommaso d'Aquino, *Summa Theologiae*, I, q. 21, a. 3.

Questa vocazione all'amore e alla cura per l'altro,[99] che porta con sé guadagni di eternità, è resa esplicita dal Signore della vita nella parafrasi del giudizio finale: ricevete in eredità il regno, perché ero malato e mi avete visitato. Quando mai, Signore? Tutte le volte che avete fatto questo a un vostro fratello più piccolo, a un vostro fratello sofferente, lo avete fatto a me (cfr *Mt* 25, 31-46).

Il Sommo Pontefice Francesco, in data 25 giugno 2020, ha approvato questa Lettera, decisa nella Sessione Plenaria di questa Congregazione il 29 gennaio 2020, e ne ha ordinato la pubblicazione.

Dato a Roma, dalla sede della Congregazione per la Dottrina della Fede, il 14 luglio 2020, memoria liturgica di san Camillo de Lellis.

Luis F. Card. Ladaria, S.I.
Prefetto

✠ Giacomo Morandi
Arcivescovo tit. di Cerveteri
Segretario

[99] Cfr Benedetto XVI, Lett. Enc. *Spe salvi* (30 novembre 2007), n. 39: *AAS* 99 (2007), 1016: «Soffrire con l'altro, per gli altri; soffrire per amore della verità e della giustizia; soffrire a causa dell'amore e per diventare una persona che ama veramente – questi sono elementi fondamentali di umanità, l'abbandono dei quali distruggerebbe l'uomo stesso».

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BRUXELLENSIS seu MECHLINIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Annae a Iesu (in saeculo: Annae de Lobera), Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum (1545-1621)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Levabo oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi? Auxilium meum a Domino, qui fecit caelum et terram» (*Ps* 121, 1-2).

Sanctae Teresiae a Iesu sanctique Ioannis a Cruce spiritualis doctrina Servae Dei Annae a Iesu (in saeculo: Annae de Lobera) interius iter duxit ad virtutum atque consiliorum evangelicorum perfectionem, scilicet ad montem qui Christus est.

Serva Dei in Hispania, in oppido v.d. *Medina del Campo*, die 25 mensis Novembris anno 1545 nata est. Iam decimo sexto aetatis anno in "communitatem quam maxime rigidam intrare" cupiebat et iuventutis tempore "voluntatem Dei continenter quaerere" statuit. Anno 1570 Carmelum Abulensem Sancti Ioseph ingressa est, ubi novitiarum magistram sanctam Teresiam a Iesu habuit, quam tres post menses novum monasterium Salmanticae fundaturam secuta est. Sancto Ioanni a Cruce etiam occurrit, qui ei commentarium in "Canticum Spirituale" scripsit. Die 22 mensis Octobris anno 1571 professionem religiosam Salmanticae emisit, ubi novitiarum formationis munus assumpsit. In Baetico oppido v.d. *Beas de Segura* prima Carmeli priorissa fuit et post ei, ut Granatae novum monasterium fundaret, mandatum est. Priorissae munere Matriti fungebatur cum, sancta Teresia a Iesu aliquot annis ante exstincta, eius reformationis operam defendendam habuit. Ad Summum Pontificem Sixtum V ipsa recurrit, qui anno 1590 breve "Salvatoris nostri" edidit. At sequenti anno, recursu eius inoboedientiae actu existimato, de prioratu deiecta est et in cella sua tres per annos manere conclusa coacta est, addita cotidianae Communionis privatione. Strenuam humilitatem, spem et in Deum fidem demonstravit. Postea Salmanticae priorissa fuit. Ab anno 1604 Gallica monasteria Lutetiae, Pontisarae Divioneque fundavit et ab anno 1607 cetera in Flandria, Bruxellis, Lovanii Montibusque Hannoniae. Has plurimas communitates ducens, praecipuas consilii prudentiaeque virtutes ostendit.

Serva Dei omnino sanctae Teresiae a Iesu vestigia secuta est, cuius primam scriptorum collectionem curavit, et ob Carmelitanam riformationem, quam illa

perfecit, multa passa est. Ordinis sui charisma penitus vixit, caritate Christi inflammata et Virginis Mariae aemula. Contemplatrix animo, fundatricis dotes fructificare valuit ad spiritualis temporis sui Europae restitutionis operam. In adversis haud mediocrem fortitudinem perseverantiamque praestavit et omnes ad solacium et fiduciam excitabat. Bruxellense monasterium tredecim annos rexit, ubi quoque die 4 mensis Martii anno 1621 obiit.

Sanctitatis Fama, qua Serva Dei in vita et post mortem est circumdata, Causa Beatificationis et Canonizationis eius incepta est. Nonnulli Processus Ordinarii instructi sunt apud Curias ecclesiasticas Bruxellensem seu Mechliniensem, Antverpiensem, Tornacensem et alias, qui Romae anno 1636 sunt evulgati. Ab anno 1890 Processus Apostolicus celebratus est. Haec Congregatio decretum de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum anno 1904 concessit. Positio, iam anno 1905 edita sed anno 2013 suppleta iterumque impressa, die 14 mensis Novembris anno 2013 Consultorum Historicorum iudicio est subiecta. Igitur consuetas secundum normas an Serva Dei heroico modo virtutes christianas excoluisset disceptatum est. Die 9 mensis Octobris anno 2018 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum faustum votum protulit. Die 5 mensis Novembris anno 2019 Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Annae a Iesu (in saeculo: Annae de Lobera), Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Descalceatarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Novembris a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GRANATENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Caietani Giménez Martín et XV Sociorum Sacerdotum et Christifidelium Laicorum († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Domine, miserere nostri, te enim exspectavimus. Esto brachium nostrum in mane et salus nostra in tempore tribulationis» (*Is* 33, 2).

Cum in Hispania bellum civile una cum persecutione erga Ecclesiam exardesceret, a mense Iulio anni 1936 ad mensem Martium anni 1937 intra fines dioecesis Granatensis Servus Dei Caietanus Giménez Martín, alii tredecim presbyteri, unus seminarii alumnus et unus christifidelis laicus mortem occubuerunt. Omnibus huius loci christifidelibus illud ob fidei crescens odium acerbioris tribulationis tempus fuit. Propter eandem fidem Servi Dei spe certi, quae ex Christi resurrectione oritur, mortui sunt.

Ipsi fuerunt:

1. Servus Dei Caietanus Giménez Martín. In loco v.d. *Alfornón* die 27 mensis Novembris anno 1866 natus, presbyter ordinatus est die 31 mensis Maii anno 1890. In vico v.d. *Alboloduy* et in oppido v.d. *Loja* ministerium sacerdotale persolvit. Vir pius et beneficus, fidem simplicem, altam devotionem erga Virginem Mariam et verum zelum apostolicum habebat. In carcerem inclusus, occisus est die 9 mensis Augusti anno 1936. Obiens proclamavit: "Christus Rex vivat".

2. Servus Dei Emmanuel Vázquez Alfalla. In oppido v.d. *Motril* die 14 mensis Iulii anno 1863 ortus, sacro presbyteratus ordine auctus est die 17 mensis Decembris anno 1892. Interfectus est die 25 mensis Iulii anno 1936.

3. Servus Dei Raimundus Cervilla Luis. In oppido v.d. *Almuñécar* die 29 mensis Martii anno 1865 ortu ducto, presbyter factus est die 1 mensis Martii anno 1890. In custodiam conditus, die 17 mensis Augusti anno 1936 necatus est. Extrema verba eius ad percussoribus ignoscendum enuntiata sunt.

4. Servus Dei Laurentius Palomino Villaescusa. In oppido v.d. *Salobreña* die 22 mensis Augusti anno 1867 natus, presbyter ordinatus est die 9 mensis Martii anno 1895. Aliquot annos ministerium pastorale in Argentina

perfecit. Totiens in vincula ductus, pro sobrino suo qui pater familias erat se frustra offerens, una cum eo occisus est die 9 mensis Augusti anno 1936.

5. Servus Dei Petrus Ruiz de Valdivia Pérez. In oppido v.d. *Huétor Vega* die 30 mensis Decembris anno 1872 ortu ducto, sacro presbyteratus ordine auctus est die 30 mensis Maii anno 1896. Parochus oppidi v.d. *Alhama de Granada* nominatus est. In carcerem conclusus, interfectus est die 30 mensis Iulii anno 1936. Percussoribus suis ignovit et obiens dicebat: "Aeterni fiat voluntas".

6. Servus Dei Iosephus Frías Ruiz. In pago v.d. *Comares* die 23 mensis Aprilis anno 1902 ortus, presbyter factus est die 25 mensis Maii anno 1929. In vincula ductus, necatus est die 30 mensis Iulii anno 1936.

7. Servus Dei Iosephus Becerra Sánchez. In oppido v.d. *Alhama de Granada* die 7 mensis Martii 1875 natus, presbyter ordinatus est die 26 mensis Martii 1902. In carcerem inclusus, molestatus vexatusque est. Ignoto die mensis Augusti anno 1936, pro uno puero se offerens, occisus est.

8. Servus Dei Franciscus Morales Valenzuela. In oppido v.d. *Alhama de Granada* die 22 mensis Novembris anno 1877 ortus, sacro presbyteratus ordine auctus est die 6 mensis Iunii anno 1900. In custodiam conditus, interfectus est die 1 mensis Augusti anno 1936.

9. Servus Dei Iosephus Rescalvo Ruiz. In vico v.d. *Juviles* die 20 mensis Maii anno 1880 ortu ducto, presbyter factus est die 22 mensis Septembris anno 1906. Necatus est die 29 mensis Septembris anno 1936. Obiens percussoribus suis ignovit. Familiaribus suis dixerat: "Nolite pro me flere, quia in caelum reviviscebimus et numquam postea dividebimur".

10. Servus Dei Iosephus Jiménez Reyes. In Hispanico oppido v.d. *Santa Fé* die 20 mensis Septembris anno 1889 natus, presbyter ordinatus est die 27 mensis Februarii anno 1915. In vincula mense Iulio anno 1936 ductus, die 2 mensis Augusti eodem anno occisus est. Extrema verba eius fuerunt: "Christus Rex vivat".

11. Servus Dei Emmanuel Vílchez Montalvo. In pago v.d. *Moreda* die 5 mensis Iunii anno 1889 ortus, sacro presbyteratus ordine auctus est die 6 mensis Iunii anno 1914. Graviter vexatus, interfectus est die 17 mensis Martii anno 1937.

12. Servus Dei Iosephus Polo Rejón. In pago v.d. *Monachil* die 28 mensis Februarii anno 1890 ortu ducto, presbyter factus est die 21 mensis Decembris anno 1918. Die 6 mensis Augusti anno 1936 necaverunt eum.

13. Servus Dei Ioannes Bazaga Palacios. In vico v.d. *Benamargosa* die 8 mensis Decembris anno 1903 natus, presbyter ordinatus est die 21 mensis Septembris anno 1929. Occisus est die 11 mensis Augusti anno 1936.

14. Servus Dei Michael Romero Rojas. In oppido v.d. *Coín* die 26 mensis Decembris anno 1911 ortus, sacro presbyteratus ordine auctus est die 14 mensis Iunii anno 1936. Minus quam unum post mensem in custodiam conditus, molestatus vexatusque est. Die 11 mensis Augusti eodem anno interfecerunt eum.

15. Servus Dei Antonius Caba Pozo. In pago v.d. *Laniarón* die 1 mensis Decembris anno 1914 ortu ducto, seminarium ingressus est quartum decimum aetatis annum agens. In carcere inclusus, minis affectus derisusque, die 21 mensis Iulii anno 1936 necatus est. Dum interficebant eum, dictitabat: "Pro Christo morior"; Rosarium invocationemque "Regina martyrum, ora pro nobis" precabatur. Ante obitum medicamenta aliqua necnon Ecclesiae sacramenta recipere potuit.

16. Servus Dei Iosephus Muñoz Calvo. In oppido v.d. *Alhama de Granada* die 16 mensis Aprilis anno 1913 natus, munere Iuventutis Actionis Catholicae suae paroeciae praesidis fungebatur. Fidem abiurare noluit. Ita, in vincula ductus, occisus est die 30 mensis Iulii anno 1936. Se promptum ut moreretur nec persecutorum minas metuere enuntiavit.

Aliquorum Servorum Dei corpus numquam compertum est. Eorum occisio clara ac diuturna martyrii fama circumfusa est, cum de morte dimicavissent et pericula adivissent propter Christi et Ecclesiae dilectionem.

Hac fama perdurante, iuxta Curiam ecclesiasticam Granatensem a die 1 mensis Iulii ad diem 28 mensis Septembris anno 1999 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 8 mensis Februarii anno 2002 est recognita. Positione confecta, secundum consuetudinem disceptatum est an Servorum Dei verum fuisset martyrium. Fausto cum exitu, die 19 mensis Septembris anno 2013 Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi, congregati die 19 mensis Novembris anno 2019 Ordinaria in Sessione, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servos Dei ob eorum fidem in Christum interfectos esse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Caietani*

Giménez Martín et XV Sociorum, Sacerdotum et Chrisfidelium Laicorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Novembris a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BONONIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Olynthii Marella, Sacerdotis Dioecesani (1882-1969)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Olynthus Marella die 14 mensis Iunii anno 1882 Ferentinae insulae, Venetiana in lacuna, est ortus. Anno 1892 Seminarium ingressus, die 17 mensis Decembris anno 1904 sacro ordine auctus est. Primos annos ministerii Fossae Clodiae exegit, apud Seminarium docens. Anno 1908 a dioecesano Consilio Vigilantiae de modernismo est accusatus. Primum a docendi munere amotus est et die 24 mensis Septembris anno 1909 a divinis est suspensus cum etiam prohibitione sanctam Communionem accipiendi. Historiae ac philosophiae laurea coronatus, quibusdam in Italis lyceis docuit, inter quae Bononiae, ubi ab anno 1924 sibi domicilium constituit.

Die 2 mensis Februarii anno 1925 ad sacerdotalia restitutus, in Bononiensis Archidioecesis clero incardinatus est, curam pastoralem cuiusdam regionis suburbanae gerens ibique pueris parentibus orbatis ac derelictis consuluit, pro quibus ipse, haud haesitans, stipem petebat. Hanc ob rem dictus est "Dei barbo". Anno 1948 inchoavit operam dictam "Civitatem Puerorum", in qua hospitio iuvenes derelicti excipiebantur ut educarentur et quadam in arte instituerentur.

Gravi ulcere correptus die 6 mensis Septembris anno 1969, octagesimum octavum annum agens, apud oppidum Sancti Lazari prope Bononiam mortuus est. Decretum super heroicis eius virtutibus die 27 mensis Martii anno 2013 promulgatum est.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum quandam miram sanationem, quae Bononiae anno 1985 evenerat, subiecit. Cuidam viro triginta et septem annorum anno 1970 stomachi resectionis chirurgica sectio adhibita est ob ulcus duodenale perforans. Anno 1983 propter cardimonam identidem receptus est apud polyclinicum Bononiae, ibique chronica pancreatites una cum defectu exocrinae pancreaticae secretionis comperta est. Die 29 mensis Ianuarii anno 1985 chirurgica sectione ei adhibita est. Post autem sectionem, omnia ad normam processerunt usque ad diem 5 mensis Februarii, cum haemorrhagiae iteratae secutae sunt, quae et diebus sequentibus repente creverunt, eundem

vitae in periculum mittentes. Medici ut haemorrhagiam continerent denuo statuerunt adhibere chirurgicam sectionem, quae tamen nihil valuit. Medici ergo parentes aegroti de possibili exitu certiores fecerunt.

Aegrotus et uxor eius artissimum habebant vinculum cum Venerabili Servo Dei, uterque enim receptus est apud "Domus-Familias", quas ipse fundaverat in "Civitate Puerorum" apud oppidum Sancti Lazari. Ipse Servus Dei eorum nuptias benedixerat aegrotusque eiusdem fuit autoraedarius. Parva imago Venerabilis Servi Dei sub aegroti cervicali posita est. Coniugum precationibus accesserunt etiam alii proximi, moniales et magistrae infirmorum ministrorum valetudinarii.

Invocatio efficax et superior fuit mutationis valetudinis, quae a die 7 mensis Februarii incipere videbatur. Quamvis infeliciter exspectaretur exitus, valetudinis condicio celeriter in melius mutavit adeo ut die 23 mensis Martii anno 1985 e valetudinario demitteretur.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et viri sanationem, qui deinceps naturali socialique vita pollens, sanus vixit.

De hac sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam ecclesiasticam Bononiensem a die 13 mensis Iunii anno 2007 ad diem 31 mensis Octobris anno 2008 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 30 mensis Octobris anno 2009 est approbata.

Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 10 mensis Ianuarii anno 2019 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 4 mensis Iunii anno 2019 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum. Die autem 28 mensis Octobris anno 2019 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Becciu praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis*

Servi Dei Olynthi Marella, Sacerdotis Dioecesani, videlicet de repentina, completa ac duratura sanatione cuiusdam viri ab "emorragia digestiva post-chirurgica del moncone pancreatico, complicante intervento di duodenocefalo-pancreasectomia con ricostruzione secondo Child, realizzato per pancreatite cronica indurativa della testa del pancreas, in paziente sottoposto a resezione gastrica e colecistectomia".

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Novembris a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GULUENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi Ambrosoli, Sacerdotis professi Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu (1923-1987)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ioseph Ambrosoli Ronagi, in dioecesi Comensi, die 25 mensis Iulii anno 1923 natus est. Medicae artis lauream adeptus, anno 1951 Gozzani instituti Missionariorum Combonianorum novitiatum ingressus est. Quattuor post annos professionem perpetuam emisit. Die 17 mensis Decembris anno 1955 Cardinalis Ioannis Baptista Montini, postea Summus Pontifex et Sanctus, eum presbyterum ordinavit. Anno 1956 Ioseph Ambrosoli oppidum v.d. *Kalongo* in Uganda profectus est, ubi parvum maternitatis ambulatorium et medicamentorum dispensarium in verum valetudinarium convertit. Artis ostetriciae iuvenibus huius loci mulieribus scholam aperuit. Anno 1972 Sanitatis Ugandae Administratio *Leprosy Control* quinque regionum, in quibus fere octo milia leprosi inscripti erant, eius curae commendavit. Ab anno 1985 Status Ugandae et societatis condicio ruit et, post evangelizationis et praesertim aegrotantium curae iuvenumque educationis actuositatis tres et quinquaginta annos, missionis in *Kalongo* finis factus est. Unum fere post mensem, die 27 mensis Martii anno 1987 Venerabilis Servus Dei Lirae obiit. Die 17 mensis Decembris anno 2015 Summus Pontifex Franciscus eius virtutes heroicas agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio studio ac iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram cuiusdam mulieris sanationem subiecit. Res in pago v.d. *Matany* in Uganda anno 2008 accidit.

Die 25 mensis Octobris mulier in Sancti Kiziti valetudinarium suum secundum paritura filium recepta est. Fetus quidem malam posituram habebat et cordis palpitationum defectum ostendebat. Aegrota, in gravissimis laborans, per caesaream sectionem fetum mortuum peperit.

Cum parochus vocatus esset ad Sacri Olei Unctionem mulieri ministrandam, quidam medicus Venerabilis Servi Dei Iosephi Ambrosoli intercessionem petivit et parvam eius imaginem prope aegrotantis caput deposuit. Exinde res in melius mutavit, donec mulier celeriter sanaretur et a valetudinario dimitteretur. Venerabilis Servi Dei intercessionis invocatio univoca fuit magnaque fide prolata est, antequam clinicae condicio in melius mutaretur.

Evidens est ergo concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et mulieris sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens sana vixit.

De hac sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam ecclesiasticam Morotoënsem a die 17 mensis Septembris anno 2010 ad diem 21 mensis Iulii anno 2011 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 11 mensis Maii anno 2012 est approbata.

Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 29 mensis Novembris anno 2018 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 13 mensis Iunii anno 2019 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum. Die autem 19 mensis Novembris eodem anno Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Becciu praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Iosephi Ambrosoli, Sacerdotis professi Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu, videlicet de repentina, completa ac constanti sanatione cuiusdam mulieris a "shock settico secondario da corioamnionite purulenta putrefattiva, tromboflebite pelvica e tromboflebite profonda della grande safena dell'arto inferiore sinistro con dermatite gangrenosa della metà inferiore della gamba".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Novembris a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

KIVOTINA - PASSITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ovidii Charlebois e Congregatione Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae, Episcopi titularis Berenicensis, Vicarii apostolici Keevatinensis (1862-1933)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacet sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet» (*Is* 42, 1).

Tamquam Sanctus Dei Servus de quo Isaias canebat, Servus Dei Ovidius Charlebois, Spiritu Domini ductus, vitam suam in ministerium Evangelii nuntiandi impendit et caritatis Christi testimonium gentibus praebuit.

Servus Dei in pago v.d. *Oka*, in Canadae Quebecensium natione, die 17 mensis Februarii anno 1862 natus est. Novitiatum Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae ingressus, anno 1884 perpetuam professionem emisit. Presbyterus die 17 mensis Iulii anno 1887 est ordinatus et missus est uti missionarius ad Sanctam Gertrudem apud Lacum Pellicani, in septemtrionali-orientali Canadae regione.

Invitationem excepit indigenarum regionis v.d. *Cumberland* ut apud eos maneret. Illic duocedim per annos solus moratus est, se in eorum mores et humanitatem inserens, linguam loci discens atque servilibus operibus se tradens.

Ad catechismum docendum etiam se tradidit et postea ad praedicationem in propinquis communitatibus ubi stabilis missionarius aberat. Anno 1900 duos iuvenes missionarios uti coadiutores recepit et in regione Laci Pellicani religiosorum Superior nominatus est. Anno 1903, fido ac zelanti animo, vocatus est apud Anatis Lacum ad formationis institutum regendum, cuius quoque valde rem familiarem curavit.

Die 4 mensis Martii anno 1904 Summus Pontifex sanctus Pius X Vicariatum Apostolicum Keevaniensem erexit. Servus Dei Vicarius Apostolicus nominatus est et die 30 mensis Novembris eodem anno Episcopus ordinatus est. Per laboriosa atque aspera itinera saepius novem Vicariatus missiones visitavit, quas in tres regiones distribuit. Suis naturae gratiaeque donis, necnon bonis omnibus sacerdotalis vitae religiosaeque consecrationis ad apostolicam sustinendam operam usus est.

Serenitate animi ac fide difficultates et adversa tolerare valuit, atque longa solitudinis tempora. Cum cuiuslibet generis gentibus sermocinatus est. Prudenter, clare atque prospicue magnam aliquando pecuniam ministravit. Caritate et peritia plurimas catholicas scholas aperuit et medica praesidia constituit. Umquam orationem neglexit et praecipue Sacro Cordi Iesu et Immaculato Cordi Virginis Mariae continenter devotus fuit. In alti sensus fidei speique lumine missionis necessitates perspexit. In dies ad maturitatem pervenit, quae in sui ipsius erga Dominum oblatione, una cum magna in ministerio largitate, exprimebatur. Mense Septembri anno 1933 in oppidi v.d. *Le Pas* valetudinario receptum est. Illic die 20 mensis Novembris eiusdem anni obiit.

Eius fama sanctitatis, a die 15 mensis Augusti anno 1951 ad diem 25 mensis Augusti anno 1952 Processus Ordinarius iuxta curiam Vicariatus Apostolici Keevatinensis celebratus est. Processus Cognitionalis iuxta Curiam ecclesiasticam Kivotinam-Passitanam a die 16 mensis Septembris anno 1980 ad diem 2 mensis Iunii anno 1981 celebratus est. Amborum processuum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 6 mensis Iunii anno 1986 est approbata.

Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 28 mensis Novembris anno 2017 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 19 mensis Novembris anno 2019 congregati, me Angelo Cardinali Becciu praesidente, Servum Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota huius Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Ovidii Charlebois e Congregatione Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae, Episcopi Titularis Berenicensis, Vicarii Apostolici Keevatinensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Novembris a.D. 2019.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FLORENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Olynthi Fedi, Sacerdotis Dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscanarum ab Immaculata (1841-1923)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Recordemur, si volumus revera ad portum salutis pervenire, nos sequi oportere viam quam Deus nobis pandit, sequi videlicet Iesum Christum: Ego sum via! Hanc veritatem sancti tenuerunt et in usu habuerunt, quapropter praemium impetrarunt aeternum » (ex Olynthi Fedi homiliis).

In omni aevo pastores bonos et sanctos extulit Deus in Ecclesia, qui sapienter misericorditerque gregem credentium moderarentur. Inter quos Servum Dei Olynthum Fedi suscitavit, sacerdotem secundum cor Christi, qui, Evangelium adnuntians misericordiaeque exercens opera, viam ostendit quae ad salutem perducit.

Servus Dei, tertius ex septem filiis Antonii Fedi et Adelaidis Masini, die 3 mensis Octobris anno 1841 Signiae prope Florentiam natus est. Ineunte adulescentia, dominicam animadvertens vocationem Olynthus, sui fratris maioris assequendi vestigia cupidus, Seminarium Pratense ingressus est. Spiritualis et intellectualis institutionis fere septem in seminariis Pratensi, Cortonensi et Florentino frugifere exactis annis, die 21 mensis Maii anno 1864 presbyteratu auctus est.

Signiam missus est apud paroeciam Sancti Mauri, primum cappellani (1864-1888) ac dein vicarii paroecialis (1888-1923) munere functus. Hic ergo sexaginta annos usque ad mortem diu navum et exemplare opus pastorale exercuit.

Franciscali spiritualitate allectus, Servus Dei Tertio Ordini Sancti Francisci Assisiensis adhaesit et anno 1876 primitias iniit novi instituti religiosi mulierum, in uberem seraphicae familiae insiti arborem, quod dein Sororum Sancti Francisci ab Immaculata nuncupatus est. Ad spiritum fundatoris accommodatae, Sorores potissimum egenorum animis corporibusque adiuvandis attenderunt, institutioni spirituali iuventutis suas efficaciter conferentes partes.

Servus Dei minister fuit prudens ac fidelis, gloriae Dei et animarum boni sollicitudine refertus ac simul miro rerum intellectu praeditus. In omnibus

adiunctis Deum quaerebat atque omnia de eius gratia sperabat. Spirituali paternitate assidue enituit, simplici sed caritate omnino imbuta, quam cotidianum exercitium virtutum, oratio et sacrificium alebant. Servus Dei consilia sua Evangelio constanter subiecit ac temperantiam spiritumque paupertatis excoluit. Virtute prudentiae in rebus praefulsit, conscius Institutum Dei non autem suum esse.

Certaminibus socialibus temporis sui praecipue intentus, consociationem cui nomen "Panis Pauperum" commentus est ad necessaria vitae egenis hebdomadalis molae dispensationis ope praestanda. Primo mundiali grassante bello proximum se fecit militum eorumque familiarum, apud competentes auctoritates curam adhibuit de nuntiis ex fronte iisdem protinus suppeditandis ac, composito bello, mortuorum sustentavit familias. Cum Sororibus providit ut puellae parentibus orbatae reciperentur. Iuxta doctrinam socialem Ecclesiae catholicorum navitatem politicam etiam fovit, ne civilis societas ab evangelicis praeceptis seiungeretur.

In pluribus quibus Servus Dei caritatem suam pastoralem flexit formis, summam adeo servavit humilitatem, ut, licet munere fungeretur parochi, titulum recusaret, illud vicarii paroecialis perpetuo servans. Etiam cum anno 1913 nominatus est Camerarius honorarius Sanctitatis Suae, huius meritum non sibi ascripsit sed Sororibus quas instituerat. Exemplo educandi factus est cardo aliorum sacerdotum.

Mense Ianuario anno 1923 ineunte, post brevem iter in Florentiam, bronchopneumoniae morbo correptus est. Infirmorum Unctione accepta et Viatico refectus, vespere diei 22 mensis Ianuarii anno 1923 spiritum Deo reddidit.

Sanctitatis fama, apud Curiam ecclesiasticam Florentinam celebrata est Inquisitio dioecesana a die 20 mensis Martii anno 2006 ad diem 26 mensis Ianuarii anno 2008, cuius validitas iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 24 mensis Septembris anno 2010 probata est. Positione confecta dieque 6 mensis Decembris anno 2016 iudicio Consultorum Historicorum subiecta, die 26 mensis Februarii anno 2019 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroico virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 29 mensis Octobris anno 2019, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui,

professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Olynthi Fedi, Sacerdotis Dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Sancti Francisci ab Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 28 mensis Novembris a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 8 Septembris 2020. — Cathedrali Ecclesiae Suboticanae R.D. Slavko Večerin, hactenus Vicarium Generalem memoratae dioecesis ac Curionem paroeciae Exaltationis Sanctae Crucis in oppido v.d. Sombor.

die 11 Septembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Aborensi R.D. Godefridum S. Grob, e clero archidioecesis Chicagiensis, ibique Vicarium Iudicialem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Doliensi R.D. Coëmgenum Michaëlem Birmingham, e clero archidioecesis Chicagiensis, ibique hactenus Secretarium Particularem Em.mi P.D. Blasii Iosephi S.R.E. Cardinalis Cupich, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Munatianensi R.D. Robertum J. Lombardo, Fratrorum Franciscanorum a Renovatione Sodalem, hactenus in archidioecesi Chicagiensi Vicarium Foraneum et Moderatorem operis vulgo nuncupati *Our Lady of the Angels Mission Center* in oppido Chicagiensi, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 12 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Queretarensi Exc.mum P.D. Fidencium López Plaza, hactenus Episcopum Sancti Andreae de Tuxtla.

die 15 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Obregonensi Exc.mum P.D. Rutilo Philippum Pozos Lorenzini, hactenus Episcopum titularem Satafensem et Auxiliarem archidioecesis Angelorum.

die 19 Septembris. — Exc.mo P.D. Ioanni Petro Palmieri, Episcopo titulari Idassensi, Officii Urbis Vices Gerenti nuper electo, dignitas archiepiscopalis collata est.

die 21 Septembris 2020. — Titulari Episcopali Ecclesiae Albensi Maritime R.D. Ioannem Gaspari, Nuntium Apostolicum, cum archiepiscopali dignitate.

die 23 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Rubiatabensi-Mozarlandensi R.D. Franciscum Agamenilton Damascena, e clero Uruassuensi.

die 24 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Iuigalpensi R.D. Marcial Humbertum Guzmán Saballos, e clero dioecesis Granadensis, ibique Cancellarium et Rectorem Sanctuarii Nationalis vulgo nuncupati *Jesús del Rescate* in Popoyuapa.

die 29 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Sicuanensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Petrum Albertum Bustamante López, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

die 1 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Pastopolitanae Exc.mum P.D. Ioannem Carolum Cárdenas Toro, hactenus Episcopum titularem Novensem et Auxiliarem archidioecesis Caliensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in udienza in occasione della presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 11 settembre, S.E. il Signor Rahman Farhan Abdullah Al-Ameri, Ambasciatore di Iraq;

Giovedì, 24 settembre, S.E. la Signora Eunisis Vásquez Acosta, Ambasciatore della Repubblica Dominicana;

Lunedì, 28 settembre, S.E. la Signora Alexandra Valkenburg-Roelofs, Ambasciatore dell'Unione Europea.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Sabato, 5 settembre, Le Loro Eccellenze il Signor Alessandro Mancini e la Signora Gloria Zafferani, Capitani Reggenti della Repubblica di San Marino;

Venerdì, 25 settembre, S.E. il Signor Andrzej Duda, Presidente della Repubblica di Polonia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

21 settembre 2020 Il Rev.do Mons. Giovanni Gaspari, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede tit. di Alba Marittima, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Angola e in São Tomé e Príncipe.*

28 » » S.E.R. Mons. Charles John Brown, Arcivescovo tit. di Aquileia, finora Nunzio Apostolico in Albania, *Nunzio Apostolico nelle Filippine.*

29 » » S.E.R. Mons Wojciech Załuski, Arcivescovo tit. di Diocleziana, finora Nunzio Apostolico in Burundi, *Nunzio Apostolico in Malaysia e in Timor Orientale e Delegato Apostolico in Brunei Darussalam.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

28 luglio 2020 L'Ill.mo Arch. Jean-Marie Duthilleul, per la Classe degli Architetti, *Membro Ordinario della Pontificia Insigne Accademia di Belle Arti e Lettere dei Virtuosi al Pantheon.*

18 agosto » La Prof.ssa Fabiola Gianotti, Direttrice Generale del *Conseil européen pour la recherche nucléaire* (CERN) a Ginevra (Svizzera), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

» » » Il Prof. David Charles Baulcombe, Professore di Botanica presso l'Università di Cambridge (Gran Bretagna), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

» » » Il Prof. Jürgen Knoblich, Direttore scientifico dell'*Institute of Molecular Biotechnology* (IMBA) a Vienna (Austria), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

1 settembre » Il Prof. Gustavo Osvaldo Béliz, Segretario della *Secretaría de Asuntos Estratégicos* (Argentina), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali.*

14 » » L'Ecc.mo Mons. Gianpiero Palmieri, finora Vescovo Ausiliare di Roma, conferendogli la dignità di Arcivescovo nella sede titolare di Idassa, *Vicegerente della Diocesi di Roma.*

15 » » L'Ecc.mo Mons. Mario Grech, Vescovo em. della Diocesi di Gozo, finora Pro-Segretario Generale del Sinodo dei Vescovi, *Segretario Generale del medesimo Sinodo dei Vescovi «ad quinquennium».*

15	settembre	2020	L'Em.mo Sig. Card. João Braz de Aviz, *Prefetto della Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica «ad aliud quinquennium»*.
25	»	»	L'Avv. Gianluca Perone, Professore di diritto commerciale presso l'Università degli Studi di Roma "Tor Vergata", *Promotore di Giustizia applicato del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano per un triennio.*
1	ottobre	»	Il Rev.mo Mons. Alejandro W. Bunge, Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana, *Presidente dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica «ad quinquennium»*.
»	»	»	Il Prof. Pasquale Passalacqua, Professore di Diritto del Lavoro presso la Facoltà di Giurisprudenza dell'Università di Cassino e del Lazio Meridionale, *Direttore dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica «ad quinquennium»*.
»	»	»	Il Rev.do Mons. Giulio Sembeni, finora Officiale della Segreteria di Stato, Sezione per gli Affari Generali, *Capo Ufficio nella Congregazione per le Chiese Orientali.*

NECROLOGIO

5	settembre	2020	Sua Em.za il Sig. Card. Marian Jaworski, del Titolo di S. Sisto, Arcivescovo em. di Lviv dei Latini (*Ucraina*).
6	»	»	Mons. Paul Chittilapilly, Vescovo em. di Thamarasserry dei Siro-Malabaresi (*India*).
8	»	»	Mons. Joseph Chennoth, Arcivescovo tit. di Milevi, Nunzio apostolico in Giappone.
»	»	»	Mons. Benedict To Varpin, Arcivescovo em. di Madang (*Papua Nuova Guinea*).
12	»	»	Mons. Linus Okok Okwach, Vescovo em. di Homa Bay (*Kenya*).
14	»	»	Mons. Petko Jordanov Christov, O.F.M. Conv., Vescovo di Nicopoli (*Bulgaria*).
18	»	»	Mons. Anacleto Cordeiro Gonçalves de Oliveira, Vescovo di Viana do Castelo (*Portogallo*).
24	»	»	Mons. Capistrano Francisco Heim, O.F.M., Vescovo Prelato em. di Itaituba (*Brasile*).
»	»	»	Mons. John Joseph Myers, Arcivescovo em. di Newark (*Stati Uniti d'America*).
27	»	»	Mons. Mario Luis Bautista Maulión, Arcivescovo em. di Paraná (*Argentina*).